

attamen significanter nuncupant. Itaque totus
processus ☉ potabilis elaborandi, absolvitur tri-
bus hiſce distinctis, subordinatisque actibus;

Calcinatione,
Solutione magistrali,
Et denique Coagulatione,
De quibus omnibus nos ordine videbimus.

Calcinatio.

Calcinationem ☉ quod attinet, ea nihil aliud
est, quàm actus, per quem corpus ☉ attenuatur,
subtiliatur, emollitur, in indivisibiles atomos dis-
rumpitur, inque pulverem impalpabilem redi-
gitur, hoc quidem fine, uti ad suscipiendam, in sese
solventis, magistralis actionem, habile fiat acido-
neum.

Hæc calcinatio, duobus in universum modis,
fieri consuevit, vel per humidum, vel per siccum.

Calcinatio in humido vulgariter fit, in aqua
Chrysulca, quam regiam aliàs seu solarem nomi-
nant.

Constat hæc ex aqua forti & sale Armoniaco.

Capio aquæ fortis ex duabus partibus vitrio-
li & una parte nitri distillatæ, exempli g. librami,
in qua dissolvo Salis Armoniaci summè depurati
uncias duas.

Hæc est aqua Regia vulgaris, in qua pro insti-
tuta calcinatione dissolvo aurum laminatum, &
frustillatim concisum, id quod leni calore, non si-
ne tamen ebullitione dissolvitur.

Solutionem claram & flavescentem, in Bociam
satis capacem, lixivio tartari limpidissimo, ad di-
midium repletam, pededentim, & ferè guttatim

A 3 instil-